

**De melancholia : dissertatio inauguralis quam ad lauream medicam
assequendam / edit Bajetta Carolus Veronensis.**

Contributors

Bajetta, Charles.

Publication/Creation

Patavii : Typis Penada, MDCCCXLII [1842]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/upgnewzg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



[P.]

52881/10

DE MELANCHOLIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM ASSEQUENDAM

EDIT

BAJETTA CAROLUS

VERONENSIS



PATAVII


TYPIS PENADA

MDCCCXLII.



341431

AL PADRE AFFETTUOSO
E
ALL'ANIMA BENEDETTA
DELLA MADRE
CHE DA VENT'ANNI
VEGLIA DAL CIELO
SU ME
SECONDO DEI FIGLI SUPERSTITI
QUESTO POVERO
MA SINCERO TRIBUTO
D' AMORE DI DEVOZIONE
DI RICONOSCENZA



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30389963>

*“ Scitote intemperiem istam, quae μελαγχολία
dicitur, non parvis nec abjectis ingeniiis
accidere ” GELL.*

Medici philanthropi vita in moerore et tristitia continuo versatur; ipse fratrum lacrymis et luctu premitur, illiusque animi misericordis pacem miserorum dolores auferunt: idque eo magis quod non raro votis, ut mala aegroti mitigentur, ars insufficiens non respondeat, atque, heu nimis!, iacassum, quamvis conscientia et scientia duce, auxilia ferantur. Si vero medicus cujusvis morbi tractamea suscipiens alius miseritudinis adpectum aegre fert, facilius id contingit quum de mentali alienatione agatur. Vir summi ingenii, morum probitate praeditus, animi generosi subito scientiae, virtutis lumen amittit; stulta verba profert; ira et furore tenetur; ignota vi ad cuncta destruenda impellitur; quos tenero amore prosequabatur, respuit, verberat, fugit atque insano odio percellit. Femina haec jam innocentiae et charitatis imago, filia optima, uxor amans, mater diligentissima, mentis lumine amisso, foedis omnibus libidinibus indulget, parentibus amantissimis dies luctus furens minatur, maritum percutit, tenellos parvulos immitis nefarie necat. “ Que de meditations pour le philosophe, qui, se déroband au tumulte du monde, parcourt une maison d’aliénés! ” Esquirol dicit: ibi divino intellectus dono

exutus homo instinctus caeco impulsui resistere nequit, immo instinctum ipsum aberrantem non raro praesert, ita exuvias hominis praecedentis solummodo praebet, rationis expers feras vix aequiparat, quin immo aliquando nec ferarum mentem ostendit.

Inter vero omnes mentis alienationum formas, melancholia funestissima censenda, quum propter diuturnam pervicaciam et infaustas sequelas, tum ob moerorem inexhaustum, quo aegrotantes percelluntur in illa melancholiae specie, quae strictius lypemania ab Esquirol nominatur: de qua nunc disserere conabor.

Nomine melancholiae Hippocrates indicabat delirium morositate, timore et tristitia productis distinctum. Temporis vero progressu primam Hippocratis opinionem modificabantur Medici, idque nos docent haec Ciceronis verba in Tuscul. «Quem nos furorem *μελαγχολίαν* Graeci vocant, quasi vero atrabile solum mens ac non saepe iracundia graviore, vel dolore, vel timore moveatur» Galenus in posterum Hippocratis sententiam amplectebatur, putans quod morales affectiones tristes ex bilis aberratione procedant: quae nigra facta obscuro colore tingit animales spiritus, et delirium inducit. Quomodo animales spiritus materialiter tingi possint Galeni mens fortasse intelligere valuit. Rhazes credit quod atrabilis e liene fluens et ventriculum pertingens melancholiam producat. Caelius Aurelianus prius et Sydenham recentius melancholiam cum hypochondria confundunt. Pinel melancholiae characterem tristitiam esse contendit et delirium parziale objectum unicum vel seriem unam tantummodo idea-

rum respiciens. Quidam auctores, recentiores praesertim, nomine melancholiae delirium parziale, chronicum afebrile designant. Quum vero delirium fixum vel laetum vel triste esse possit, Rush tristitiam et amoenomaniam admittit; et clarissimus Esquirol, nomine monomaniae accepto, ut delirium parziale indicaret, monomania stricto sensu delirium fixum et permanens laetum, melancholiam sive lypemaniam delirium triste nuncupavit.

Melancholia ergo sive lypemania est morbus encephali delirio, fixo, unico, chronico, sine febre, a pathemate tristi prodeunte, distinctus.

Lypemania laborans corpus extenuatum et gracile saepissime praesentat, capillos nigrum colorem praeseferentes, faciem subflavo-pallidam, genas vero non raro rubore vivido notatas et nasum intensiore, cutem fuscam, aridam, squamosam. Illius physiognomia fixa et immobilis observatur; muscoli tamen faciei, quum tristitiam, timorem aut terrorem exprimant, spasmodicam contractionem detegunt, oculi fixi ad terram dejiciuntur, vel immoti longe spectant, inspectus obliquus inquietudinem et suspicionem patefacit. Manus macrae subnigrae, terreae, vel turgidae violaceae offeruntur. Lypemaniacus aegre situm mutat vel lente incedit, aliquando vero praecipiti cursu, hic unguibus scabit vel etiam suas sauciat manus, praesertim digitorum extremitates, ille vivos ungues rodit vel evellit. Quidam cibum pertinaciter respuunt, nec raro per plures dies nullum nutrimentum assumunt, quum veneficii metu aut dedecoris teneantur, vel vitae infelicissimae finem tali pacto imponere studeant; quidam melancholici per

mensem integrum quandoque abstinentiam a quovis cibo servarunt. Post prandium vero quandoque melancholici tristitia et moeror imminuuntur. Pulsus saepe tardus, debilis tangitur, aliquando contractus, durus, vibrans. Cutis calore arido distinguitur, aliquando ardore vividissimo; transpiratio cutanea in trunco saepissime desideratur, quum artuum extremitates frigidae sudore madidae sint. Lypemaniacis ut plurimum somnus negatur ab inquietudine, a timore, a zelotypia continuis, vel si dormiant, tristissimis ideis perculsi, subito expergefiunt, vel hallucinationibus et phantasmatibus affliguntur; saepissime ephialtem patiuntur, vel in somniis ab objectis, ex quibus procedit et servatur melancholia, turbantur. Nocte tranquilla peracta, quidam tristiores evadunt; alii tenebras petunt et solis occasum invocant; dum plerique nocte accedente lugent, quum tenebras, somnia, phantasmata et similia quam maxime timeant. Secretiones facillime turbantur, nonnullae silent dum aliae abundant. Frequenter urina est pallida, serosa, spastica, copiosa, aliquando vero parca, spissa, limosa. Quidam melancholici voluntarie excretiones cohibent, et tali pacto nova damna sibi parant.

Inter lypemaniacos quidam valde irritabiles summam mobilitatem ostendunt, alii e contra unum tantummodo objectum respiciunt, et sensibilitatem pro aliis plane deletam praeseferunt. Primi a causa quacunque mitissima aegre et valide afficiuntur, constantes naturae eventus phaenomena praeter naturae leges funestissima ipsis videntur. Frigus, calor, nebulae, glacies, ventus, rumor, silentium tot causae sunt inquietudinis, metus, doloris. Obstinatae respuunt

quae ipsis displicent; ciborum visu nausea et vomitu corripuntur; ubique terroris causam inveniunt et desperationis; haeque causae eo frequentiores fiunt, quod omnium metuentes continua suspitione vexantur. Alii e contra corpus impassibile offerunt, dum mens circa objectum unicum vagatur, et ita intellectus functiones omnes silent: hoc in casu corporis inertia; immobilitas faciei; silentium pervicax; gemitus, ejulatus, lacrymarum defectus funestos conatus detegunt ad intelligentiae errores et pathemata abscondenda, et dolorem mutum, desperatum, inexhaustum repraesentant. Hoc in statu lypemaniaci non modo ab externis impressionibus haud percelluntur, sed etiam illusionibus et hallucinationibus sensuum externorum obnoxii externa inexacte percipiunt.

Morales affectiones, quae aegrum ante melancholiae evolutionem tenebant, et quarum characterem delirium servat, quam maxime differunt. Hic amasiae mortem plorat, ille in patriam reditum invocatur, alter manibus, phantasmatis, daemoniis agitatur, dum ceteri dedecus verentur, fortunae vicissitudines, miseriam, hominum saevitiam, Numinis punitionem, veneficium, carcerem; suicidium cupiunt, vel omnium hominum aut alicujus mortem, aut orbis destructionem et sic porro. Pro variis ideis fixis varias quoque species melancholiae habemus, uti nostalgiam, erotomaniam, daemonomaniam, pamphobiam, mysanthropiam, lycanthropiam, melancholiam suicidii vel homicidii, spleen et cetera. Tali pacto facile concipitur quod hallucinationes lypemaniacos afficientes frequentissime et facillime ad tristia pathemata re-

ferantur. Divisio vero lypemaniae pro variis ideis fixis non est admittenda, nam pluries tali pacto tot classes haberemus quot sunt melancholici.

Aliquando instinctus morales lypemania laborantium non modo perseverant, sed etiam ita augentur ut in phanatismum transeant; ita charitas erga parentes, amor, amicitia, religio, melancholicos afficiunt, et desperationis actus non raro gignunt.

Quidam hoc tristissimo morbo laborans errorem agnoscit, nec raro desperatione correptus suos metus absurdos esse confitetur; sed deinceps irresistibili quadam vi a passione dominante ad errores, ad timores identidem, ad similem inquietudinem noviter fertur: idem delirium incipit. Voluntas melancholici saepe inflexibilis est, nec ullo pacto ipsorum timores atque hallucinationes vincuntur, alii e contra, ut ita dicant, voluntate carent, vel, desiderio praehabito, nulla sequitur actio.

Lypemaniaci logices lumen non amittunt etiam quum de ideis agatur, in quibus delirium versatur. Idea fixa erronea est, principium fallax, consequentiae vero convenienter deducuntur. Melancholici iudicia de illis, quae minime ad ideam erroneam, fixam referuntur, justa sunt, sicuti priusquam morbus insurgeret; frequenter tamen habitudines mutantur et desideria, ita ut qui ante strenuo animo ac intrepido distinguebatur quasi muliercula paveat, libidinibus antea indulgens poenitentia corripiatur.

Melancholia stricte dicta a mania facile distinguitur, in hac enim delirium ideas omnes amplectitur, et exaltatio adest sensibilitatis et facultatum omnium intellectus: differt quoque a monomania, a

dementia, ab idiotia, in prima enim laetum adest delirium, secunda confusionem et incoherentiam idearum omnium ostendit, et idiota nullum unquam rectum iudicium protulit. Diximus quod quidam auctores melancholiam cum hypochondria confundant; attamen Cullen hos morbos perbelle distinguit. Ceteris indiciis omissis, sequentia sufficiant. Lypemania frequentius hereditaria est, lypemaniaci peculiare temperamentum referunt, scilicet melancholicum, quod ad lypemaniem valide disponit, dispositio ab educationis vitiis firmior fit, atque a causis directe cerebrum, sensibilitatem, intellectum afficientibus; dum hypochondria causarum materialium ventriculi actionem laedentium, et digestionis functionem perturbantium est effectus. In lypemania ideae rationi oppositae a tristi pathemate, a mala idearum associatione pendent; in hypochondria e contra delirium deest; quae patitur mala, haecque frequenter physica, aeger exaggerat, dyspepsiam accusat, et metu continuo agitur periculi imaginarii valetudini et vitae minantis.

De melancholiae causis disserentes sequentia notanda offendimus. Frequenter lypemania occurrit in regionibus paludosis et humidis, ita quoque in regionibus siccis, ardentibus, ibi enim sensibilitas magis evecta reperitur. Montium incolae haud raro nostalgiam patiuntur. Hippocrates alique medici complures censent quod autumnii tempore frequentius melancholia evolvatur, Esquirol vero putat quod e contra lypemaniaci abundant vernali et aestiva tempestate. Haec opinionum differentia ex climatis diversitate forsitan procedit.

Infantes raro melancholiae obnoxii sunt, aliquando vero zelotypia perculsi, vel etiam patriae charitate hoc morbo laborant. Pubertate accedente erotomania haud difficile evolvitur, vel lypemania religiosa si sexuales instinctus religiosis ideis praeconceptis adversentur: lypemania hac in vitae periodo, evoluta saepe incurabilis evadit si ex onanismo vel ex veneris abusu praemature originem petat. Aetate virili sensibilitas imminuitur, imaginatio minus vivida evadit, dum e contra aliae intellectus facultates excellunt, nova pathemata locum habent et novi affectus, ambitio, gloriae studium, scientiae desiderium aliaquae superaccedunt; quare non raro melancholia contingit. Sub fine hujus aetatis periodi, menstruatione cessante, feminae facillime melancholia corripuntur. Rarius senes hoc morbo laborant, nam hac aetate omnes passionnes infringuntur, si vero lypemania tum contingat ex poenitentia vel avaritia procedit. A vigesimo quinto ad quadragesimum annum haec mentis alienationis species frequentior advertitur.

Uterque sexus melancholiae favet, frequentius vero feminae corripuntur, pluribus enim causis exponuntur. Differt tamen melancholiae species in utroque sexu, homines plerique ex ambitione, avaritia etc. lypemaniaci evadunt, feminae ex zelotypia, superstitione etc.

Temperamentum melancholicum, systematis hepatici et haemorrhoidarii evolutio ingens, vita iners, sedentaria, vigiliae productae, somni abusus, studium et mentis intentionis excessus ad hanc affectionem valide disponunt. Quoad diversa officia poëtae, mu-

sici, mercatores audaces prae ceteris huic malo obnoxii sunt. Viri summo ingenio praediti, lypemania semper non vitant uti Gellii verba, quae retulimus, nos monent, immo frequentius afficiuntur, nam ingeniosi ut plurimum illo temperamento gaudent, quod vel maxime huic morbo favet, ideoque Cicero in Tusc. scribit «Aristoteles quidem ait omnes ingeniosos melancholicos esse, ut ego me tardiores esse non moleste feram.»

Quoad causas physicas habemus: jejunium; famem; ciborum abusum, opii, potus ferventis, alcoholis, quae ultima causa suicidii studium juvat, uti in Anglis observare est. Onanismum, a functionibus sexualibus abstinentionem, profluvii habitualis suppressionem vel morbi alicujus, praesertim exanthematici, inter causas lypemaniae recensemus; melancholia aliquando hysterismum, hypochondriam, epilepsiam, maniam similesque affectiones sequitur, hisque morbis redeuntibus, cessat.

Affectus morales causae frequentiores sunt lypemaniae, amor delusus, zelotypia, timor, terror juventutis, feminarum et classium inferiorum societatis melancholiam juvat, dum honorum studium, fortunae vicissitudines, avaritia altiores societatis classes et adultos melancholia afficiunt. Capitis traumaticae laesiones quoque uti causae lypemaniae habendae sunt. De hereditaria dispositione jam locuti sumus.

Non semper lypemaniae causae in cerebrum directe agunt, idest aliquando melancholiae sympathicae adsunt. Saepissimae ex hypochondria vel ex morbis chronicis abdominis lypemania procedit.

Hujus affectionis causae non facile distingui pos-

sunt in disponentes et occasionales, nam aliquando haec alterius vices gerit et viceversa.

Morbus aliquando evolvitur quin causa perspicua sit, sed plerumque attento examine haec eruitur; quandoque delirium subito manifestatur, idque praecipue locum habet quum, causis disponentibus validioribus praeceuntibus, momenta excitantia summa agant vi.

Monomania melancholica continua est, remittens vel intermittens. Secunda frequentius observatur; lypemaniaci complures post prandium et vespere accedente delirii exacerbationem patiuntur, alii tempore matutino. Daemonomaniaci prae ceteris tenebris supervenientibus pavent.

Lypemania continua diuturno cursu distinguitur. Tempore veris facilius in sanitatem vergit, nunquam vero salus perfecte restituitur ni crisis psychica vel physica praecedat. Transpirationis functio ordinata, sudores copiosi, exanthemata, profluvia sanguinea nova vel supressorum reditus, evacuationes mucosae, biliosae, nigrae, sanguineae, per vomitum aut per alvum obtentae, frequentius melancholiae finem ponunt. Aliquando vero etiam animi motus improvisi valde juvant, ita: affectus vehemens ideas fixas revellens, terror, metus quandoque lypemaniem sanant. Facile bona valetudo reparatur si medicus aegrotantis confidentiam acquirat. Salus aliquando restituitur quum aeger desiderii objectum, ex quo pathema et delirium contingerunt, obtineat. Antiochus a lypemania liberatur a patre Seleuco novercae manum obtinens.

Non raro in dementiam, aliquando in maniam

melancholia mutatur. Tum aeger ideas servat praevalentes, hae vero perinconsequentes, inordinatae fiunt, et ab actionibus discrepant, dum antea ideae, sermones, desideria logice et exacte pendebant ex erronea quidem sed immutata idea fixa.

Melancholia per se difficile in mortem transit, hic vero exitus est saepissime sequela aliorum morborum, qui lypemaniae finem ponunt vel cum ipsa junguntur. Morbi, qui frequentissime lypemaniacorum vitam claudunt, sunt: febres adynamicae, marasmus et febris lenta, phthisis pulmonum et pleuritis chronica, vitia organica cordis, inflammationes chronicae organorum abdominalium, scorbutus et apoplexia.

“Quel que soit le juste orgueil que nous inspirent nos facultés mentales et les immenses avantages qu’elles nous procurent, il est vrai qu’elles se confondent sous certains rapports avec les phénomènes généraux de la vie. En effet, les fonctions intellectuelles sont soumises aux mêmes lois que les autres fonctions.” Si res ita se habet, ut Magendie dicit, necesse est ut functionibus intellectus organon peculiare praesit, et in sua materiali compagne aberret, mentis functionibus laesis. Attamen in melancholia hae cerebri alienationes materiales haud clare huc usque patent. Defectus attentissimi examinis, ignorantia partis cerebri in lypemania affectae hanc anatomes pathologicae insufficientiam produxit. Forsan temporis progressu haec quoque scientiae pars clara luce donabitur, idque nos movent progressus recentiores anatomiae pathologicae, quae quum jam aliqua detexerit signa in morbis mentalibus antiquioribus plane ignota, adhuc me-

lora promittit. Characteres vero anatomico-pathologici morborum, qui melancholiam sequuntur vel comitantur perspicui sunt.

Veteres putabant quod melancholia ab excessu penderet bilis atrae. Quidam auctores asserunt humorem nigrum cerebrum melancholici aliquando praetulisse: humor vero rubri, nigricantis aut flavi coloris, in encephalo saepe inventus, nil aliud est nisi residuum praegressae effusionis sanguineae vel partis alicujus cerebri emollitae. Hanc aberrationem materiei etiam cadavera ostendunt illorum, qui nunquam lypemania affecti sunt. Bonet dicit melancholicos offerre cerebri vasa distensa, sanguine repleta, et exsudationes humorum variae indolis in sinibus: Boerhave cerebrum durum, friabile, flavo - albicans observavit, et illius vasa sanguine concreto, nigro referta. Quidam dicunt quod melancholici calculos biliares offerant, hoc vero indicium constans non est. Gall asserit quod suicidae cranium crassum et densum ferant; sed ne haec quidem assertio ab observatione confirmatur.

Melancholici characteres sequentes anatomico — pathologicos praecipue ostendunt, quum in organis, quae strictius ad exercitium functionum mentalium referuntur, tum in illis, quae a morbis concomitantibus vel lypemania obtruncantibus afficiuntur: meningum crassitiem et densitatem auctam, emolli-tionem vel duritiem substantiae cerebrealis, colorem cerebri rubrum vel pallidum, adhaerentias parietum ventriculorum encephali, plexus choroideos pallido colore distinctos, lithiaseos indicia in falce, ossificationes glandulae pinealis, sanguinis effusiones in si-

nubus vel in ipsa substantia cerebrale, cranialem thecam irregularis crassitie tubera ossea huc illuc referentem, vomicas pulmonales, tubercula, hydrothoracem, cordis polypos, inflammationis vestigia, aneurysmata, arteriarum ossificationes, pericardii concretiones et hydropem, coli situm mutatum, adhaerentias, suppurationes peritonaei, ulcera ventriculi aut pylori nec non intestinorum, vermes intestinales, non raro taeniam, infarctus, concretiones, inflammationes, atrophias, hyperthrophias hepatis, calculos biliares, uteri exulcerationes et similia.

Alienationes pathologicae, quae frequentius inveniuntur, sunt laesiones ex pulmonum morbis prodeuntes.

Melancholiae indoles nos adhuc latet. Esquirol considerat lypemaniem uti spasmus tetanicum cerebri et potius partis cerebri alicujus. Broussais melancholiam ex irritatione repetit quum cerebri tum organorum sympathice cum ipso connexorum, frequentius abdominalium. Hic enim auctor nimis forsitan sympathiis confidit, et nimis frequenter in organis remotis melancholiae causam perquirat; quamvis nullus medicus logicus neget, quod aliquando extra encephalon lypemaniae causa existere possit. Si vero irritatio cerebri melancholicum delirium gignit, quare hallucinationes in unico objecto versantur? Nonne hoc sub adspectu Gall opinio veritati consona videtur? Celeberrimus hic auctor putat quod in variis monomaniae speciebus illa pars encephali praesertim patiatur quae functioni praest perturbationae. Attamen si laesa conditio organi peculiaris cerebri monomaniam inducit quomodo subito desi-

deria et affectus hoc morbo correpti mutantur? potest ne improvise contingere summa alicujus organi modificatio? quare femina pudica melancholica facta nymphomaniae lasciviis indulget? Haec facta Gall sententiam infirmant minime plane destruunt, et nihilominus confiteri debemus quod theoria illa ingeniosissima sit, veritates quasdam colligat, nec cum astrologia atque alchymia, uti jam Magendie dixit, confundi mereatur.

Quum de melancholico agatur quaestiones plures medicina forensis proponit, frequentiores vero sequentes sunt. Possunt ne melancholici bona sua administrare? criminum commissorum poenam sufferre debent? debent ne a societate sejungi? Quoad primam quaestionem nos sequimur legum duodecim tabularum sententiam, quae melancholico vetant rerum familiarium administrationem. Relate ad secundum dubium animadvertere debemus quod varios gradus melancolia admittat ita, ut, morbi sub minima intensitate, melancholicus plane consulto agat, compos sit sui et inde criminis et poenae capax. Praeterea etiam sub morbi progressu aliquando unica idea erronea est, aliaeque omnes omnino rationi convenientes, ideo priusquam iudicium feratur observare debemus an crimen commissum cum idea fallaci praedominante jungatur vel non. Melancholici ab aliis segregari debent si delirium furens et nocens ostendant.

Pharmacorum administratione lypemaniae delirantis tractamen medicus non absolvit; medicina moralis prae physica hic valet; consolationis, spei, exhilarationis virtus phialarum pharmacopolae actionem

longe vincit. Lypemaniae cura in regimine hygienico, psychico et pharmaceutico consistit. Clima siccum, temperies mitis, caelum serenum, loca amoena et rura melancholicis conveniunt. Vestes tepentes sint et frequenter mutantur. Alimenta sale condita, irritantia, aromatica, difficulter digerenda vitentur. Carnes tenellae, assatae, victus vegetabilis, substantiis farinosis negatis, quam maxime votis respondent. Corporis exercitium cujusvis generis non raro melancholicos sanare valuit, longa itinera, quae novis imaginibus lypemaniacum ab idea fixa distrahunt, vectio in rheda, equitatio, rusticatio, venatio ni melancholicus sui ipsius vel aliorum vitae minetur, agricultura, piscatio acceptae occupationis bonum etiam ferunt. Otium est studiosissime vitandum, hinc quidam labores vel quaedam studia sunt praescribenda, et lusus quoque utiles visi sunt. Melancholici a societate secessus aliquando curam juvit.

Balnea quandoque bono cum effectum adhibita sunt, praecipue si instituantur ubi exhilarationis quoque auxilium suppeditatur. Coitus quamvis raro tamen aliquando sanationi favit.

Etiam animi affectus medicus prudens ad melancholici curationem adhibet, spem aliquando excitare nititur, aliquando metum incutere, aliquando aegri confidentiam et amorem acquirere. Frequentissime vero vivae quaedam emotiones, quae subito mentem ab idea praeconcepta avocent, effectum desideratum praestant. In erotomania saepe amantis possessio sanat. Musices vis in lypemania neminem latet.

Tractamen pharmaceuticum lypemaniae ni ex

causa nota et physica procedat, vel alius affectionis sympathica sit, symptomaticum tantum vel empiricum ut plurimum est.

Pro variis casibus adhibentur purgantia mitiora, drastica, sudorifera, epispastica, narcotica; hirudines adplicantur, et etiam electricitas et magnetismus in usum trahuntur.

Tali ratione medici patientiae et misericordiae ope frequentius mentis virtutem melancholici infelicissimi reparant, ac verberibus, catenis, cruciatu. Vae saevis tortoribus qui fratres miserrimos quasi belluas insequuntur, excruciant, flagellant. Misericordibus, qui philanthropica commiseratione et consolatione tot miserias lenire conati sunt, benedictiones et grati animi lacrymas Humanitas semper donabit!



THESES DEFENDENDÆ

I.

Auditus frequentius ac visus hallucinationes furorem gignunt.

II.

Surdo-muti prae ceteris mentalibus alienationibus obnoxii sunt, et frequentius melancholia corripiuntur.

III.

Animi affectus saepius intellectus evolutioni favent quam noceant.

IV.

Vita legibus physico-chemicis saepe obedit.

V.

Remedia caustica in corpus vivum ustionem non exercent.

VI.

Haemorrhagia umbilicalis, nisi respiratio quodammodo impedita sit, non datur.

VII.

Incubationis hydrophobiae tempus ratione inversa se habet cum dispositione individui morsi ad virus recipiendum.

VIII.

Saponificatio habetur facilius quum plura cadavera in eodem sepulcro reponantur?

